

Sunt ne infantes baptizandi?

Sunt baptizandi, quia omnes saluandos oportet inseri ecclesiae, ad infantes pertinet promissio gratiae et salutis aeternae, sunt igitur infantes baptizandi et inserendi ecclesiae. Minor manifesta est ex his dictis: „Sinite paruulos ad me venire nec prohibete illos. Talium enim“, scilicet qui ad [126:] me veni- 5
unt seu qui mihi offeruntur, „est regnum coelorum“, Marci 10.²²⁹ Item: „Non est voluntas Patris, vt pereat vnus de paruulis istis“, qui credunt in me, Matth. 18.²³⁰

De coena domini.

Quae sunt praecipue appellationes publici ritus 10
coena domini?

Prima appellatio est „coena domini“, 1. Corinth. 11,²³¹ altera appellatio est „synaxis“ a conuentu seu congregatione publica,²³² tertia est eucharistia a gratiarum actione, quia certissimum est in hoc ritu Deo et domino nostro Iesu Christo gratias agendas esse.²³³ Quarta appellatio est^c λειτουργία, quae significat simpli- 15
citer administrationem publici muneris,²³⁴ quinto a distributione eleemosynarum coena domini nominatur ἀγάπη, quia olim simul afferebantur ad coenam domini panes et aliae res distribuendae pauperibus.²³⁵ [127:] Postremo Romani vsi sunt nomine „missae“, quod an ab Hebraeis sumptum sit an vero Latinam originem habeat non certo scitur. Vsitatum est autem hac appellatione complecti non solum 20

^{c-c} est appellatio: E.

²²⁹ Mk 10,14.

²³⁰ Mt 18,14.

²³¹ I Kor 11,20.

²³² Vgl. I Kor 11,18,20.

²³³ Vgl. I Kor 11,24.

²³⁴ Vgl. Phil 2,17.

²³⁵ Vgl. Jud 12.